



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère

Mogvntiæ, 1617

Cap. 13. De diuina lege vniuerse,

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78322](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78322)

rus si peccatum morale esse existimaret. Quam regulam tamquam de se rationabilem & timoratis contententi fuerit confirmatio memorati auctores proponunt: nisi quod D. Anton. insinuet posse confirmari ex eo, quod ratione periculi quandoque agi possit contra legis verba: quod patet ex his quae dicta sunt in ante memorato cap. 8. parte posteriore.

124.

Porro si consilium petenti aut danti secundum has regulas tentator obicit illud Ecclesiasticum 3. Qui amat periculum peribit in illo. Occurrendum est, hominem sequendo traditas regulas, non exponere se peccandi periculo, sed potius eas non sequendo. Si secundo obicit illud ex cap. Ad eius, dist. 7. bonarum mentium esse ibi etiam suas culpas agnoscere, ubi culpa non est. Occurrendum est ex glossa ibid. in verbo Cognoscere: quod sensus sit, quemlibet posse, dummodo non credat contrarium, se peccatorem dicere: si non ex peccato, quod cognoscit, saltem ex aliquo occulto, cui ex humana fragilitate se obnoxium esse putare potest. Aut (quemadmodum post Gersonem D. Antonium & Conradum notat Cordubensis) sensum esse, quod bonarum mentium sit praecautere culpam tempestiue, eiusque vitare occasiones, antequam ipsa addit.

Adde ex Nauarr. in Enchir. cap. 27. num. 285. esse signum bonarum mentium, non autem constituere bonas mentes: sicut albugo innans vino veteri, signum est boni vini, non bonum vinum. Si denique opponat, quod consentaneum sit hominem facere illud omne, quod constituitur in articulo mortis faceret aut se fecisse vellet. Occurrit dum est. quamuis id haberi possit pro salutaris consilio, non esse tamen tanquam praecceptum ea obligatione seruandum: ut Syluester in verbo Scripulis quaest. 3. sub finem probat ex eo, quod talis obligatio adigeret hominem ad desperationem & insaniam. Adde quod, ut recte notat Cordubensis, homo in articulo mortis constitutus, quaedam teneatur facere, quae non tenetur in tota reliqua vita: quale est disponere de domo sua per testamentum. Non sunt tamen ista sic accipienda, quasi velimus negare beatos esse, qui ita esuriunt & sitiunt iustitiam, ut semper, quantum possunt, aliquid supererogent, & dent mensuram bonam & confertam & coagratam: quia eadem mensuram remetietur illis. Beatos item illos, qui semper sunt pauidi, & timent ne minus fecerint, quam debuerint: dummodo in ea referent prudentiae moderationem; neque nimium iusti sint: ne forte dum nimium emungunt, eliciant sanguinem.

TRACTATUS III.

De lege diuina, quae lex est aeterna supernaturaliter reuelata.

Lex diuina tribus modis dicitur. Primo, de omni ea quae auctoritate Dei lata est, & cuius transgressione Deus offenditur. Secundo, de ea quae lata est a Deo, & intimatur nobis, non per naturalem instinctum, vel humanam auctoritatem, sed per praeccepta supernaturali fidei lumine nobis nota. Tertio, pro tota religionis summa quae non tantum supra dictis praecceptis, sed etiam promissionibus, cultu, doctina, institutis, officiorum gradibus & id genus aliis continetur: quo modo accipitur Matth. 5. cum a Domino dicitur: Non veni soluere legem sed adimplere. In secunda autem acceptione de lege diuina hic loquimur, ut & D. Thomas 1. 2. quaest. 98. & nouem sequentibus, ubi copiose de ea differit: & cum eo interpretes ipsius Calet. Medina & Gabriel, Vasquez in suis commentariis, Sorus in toto lib. 2. de iust. & iure, & D. Anton. 1. part. tit. 14. & 15. Tantum autem quae ad nostrum institutum facere & sufficere videntur attingemus, & ad tria capita reuocabimus: quorum primum erit de ipsa lege diuina in vniuersis, secundum de lege veteri, & tertium de lege noua.

CAPVT XIII.

De diuina lege vniuersae.

SUMMARIUM.

125 Quadruplex necessitas diuinae legis positivae, indicata verbis Psalm. 18. Lex Domini immaculata, &c.

Valerij Tom. 1. Pars III.

126 Definitio qua declaratur quid ca. lem lex sit.

127 Cur ante Christi aduentum data sit solum Iudeis, & post aduentum, data etiam ceteris.

128 Quae propria sunt legis diuinae positivae, quomodo proportione respondant iis quae propria sunt legis naturae.

129 Qualitates quatuor diuinae legis positivae.

130 Effectus eiusdem.

131 Diuisio illius in veterem & nouam qualis sit.

De diuina lege positiva vniuersae quinque explicanda occurrunt: existendi necessitas, natura, qualitates, effectus, & diuisio.

Necessitas diuinae legis positivae.

Existendi autem necessitas esse potest, illa quadruplex quae 125. Ex verbis Psalm. 18. Lex Domini immaculata conuenit animas, testimonium fidele, sapientiam praestans parulis; notant post D. Thomam 1. 2. quaest. 91. art. 4. D. Anton. & Sotus, ille in cit. tit. 14. cap. 1. & hic in cit. lib. 2. quaest. 1. art. 1. Tum ut tanquam immaculata, mala omnibus prohiberet, & bona omnibus praeciperet, quod neque lex naturalis neque humana vel sciri vel potuit. Solus enim Deus nouit quid vbi que equum sit & bonum omnibus & singulis; quidque expediat, atque solus circa illud potest humanae infirmitati & ignorantiae subuenire. Tum ut hominem quoad actus interiores, unde dicitur conuertens animas, dirigeret: qua in re lex humana defectum legis naturalis supplere non potuit, iuxta illud cap. Erubescant distinct. 32. De manifestis loquimur: occultorum enim cogitor & iudex est Deus. Tum ut haberet homo regulam certam & fixam, qua firmaret iudicium suum de rebus agendis, plerumque incertum, ac etiam praeposterum: propter obscuritatem in eo naturale ingenij lumine per peccatum; indeque illa dicitur, testimonium Domini fidele. Tum demum, ut quo ratio humana pertingere non potest in ijs quae hominem ordinant ad suum supernaturalem finem; eo lex diuinitus tradita eam prouideret. Unde dicitur sapientiam praestans parulis.

Definitio diuinae legis positivae.

Natura verò, definitione hac apte declaratur: quae dicitur 126. esse lex a Deo tanquam gratiae auctore, immediate instituta, & supernaturali quodam lumine nobis nota. Ex cuius definitionis prima parte, in qua lex diuina dicitur communicari a naturali, intelligitur ea, quae de legis naturalis immutabili obligandi vi dicta sunt in praeced. tractatu c. 2. accommodanda quoque esse ad hanc legem, quae sicut illa, est a Deo immediate. Ex secunda parte verò, A Deo tanquam auctore gratiae (per quam separatur a lege naturali lata a Deo tanquam auctore naturae) intelligitur, quod ut Deus per gratiam meritis Christi euenit hominem ad praecellentem statum, in quo regni caelestis haeres constitueretur: sic legi naturali, supernaturaliter reuelatam addidit, ut populus ad Christum ipsum spectans, praerogatiuam quandam sanctitatis, propter ipsius Christi reuerentiam, obtineret.

Hinc (ut D. Thomas 1. 2. quaest. 98. art. 4. annotat) lex vetus data 127. est soli populo Iudaeorum, propter promissionem a Deo factam patribus: propter mirum ex eis nasciturum Christum, iuxta illud ad Gal. 3. Abrahæ dicitur sunt promissiones & se mini eius, &c. Nempe, quia decebat, inquit D. Thomas, ut ille populus ex quo Christus nasciturus erat, quadam speciali sanctitate polleret, iuxta illud Leuit. 19. Sancti estote, quoniam ego sanctus sum. Quod quidem multo maiore ratione iam existimandum est de populo Christiano: qui in ipsius Christi societatem vocatus, ex priori ad Corinth. cap. 1. debet quemadmodum ille ambulans & ipse ambulare, 1. Ioann. 2. tenetur ad maiorem morum integritatem & sanctitatem, ut patet per illud Domini Matth. 5. Nisi abundauerit iusticia vestra plus quam Scribarum & Phariseorum non intrabitis in regnum caelorum; & illud Apostoli ad Hebr. 12. Si illi non effugerunt, recusantes eum qui super terram loquebatur: multo magis, qui de caelis loquentem nobis, auertimus.]

Ex vltima denique definitionis parte, supernaturali lumine 128. nobis nota, intelligitur lumen fidei Catholicae, respectu huius legis idem esse, quod synderesis est respectu legis naturalis. Est enim legis aeternae inscriptio quaedam supernaturalis, facta in mentibus fidelium, iuxta illud quod ad Hebr. 8. D.

Yy

Paulus

Paulus usurpat ex Ierem. cap. 31. Dabo legem meam in visceribus eorum, & in cordibus eorum super scribam eam.] Atque ut variæ dantur propositiones practicæ seu agentis regulæ per syneresim notæ: sic etiam dantur per fidem notæ; ostendentes quid ad supernaturalis finis consecutionem à nobis requiratur: quales magna ex parte sunt in sacris libris expressæ. Dico magna ex parte: quia neque tales omnes, neque solæ, sunt iuris diuini. Nam in nouo etiam testamento multæ sunt leges humanæ: ut quod mulier oret velato capite, nec tondeatur, in priori ad Corinth. cap. 11. Quod Episcopus non sit neophytus aut bigamus. 1. ad Timoth. 3. Abstinentium esse à sanguine & suffocato. Act. 15. & nonnullæ aliæ. Deinde leges de Sacramentorum formis & materiis diuinae sunt: nec tamen omnes in sacris literis expressè continentur: quod idem est dicendum de aliis traditionibus diuinis.

Porto dictamen practicum fidei perinde ac dictamen syndere seos, applicatur per conscientiam ad iudicandum in particulari de actibus humanis, an peccata sint necne: ita ut super ea re nihil speciale occurrat addendum dictis in præced. tractatu.

Qualitates & effectus diuinae legis positivæ.

129. **Q**ualitates legis diuinae positivæ sunt ex quarum ante meminimus ex Psalm. 18. nepe quod immaculata sit, seu omnis erroris vitique experta. Item quod conuertens animas, seu reformatrix sit animarum: quibus interiores infirmitates ipsarum detegendo, facit eos fugere ad medicum qui eas sanat. Præterea quod fidelis, id est, firma & immutabilis: ut potest ab eo instituta qui merito dicit Malach. 3. Ego Dominus & non mutor. Denique quod sapientiam præstans paruulis: id est, instructio sit superna uerbalis abscondita à sapientibus & prudentibus, & reuelata paruulis; quam uic capiant, & sapida experiuntur, non elati & opinionibus turgidi: sed humiles, & in obsequium Christi captiuantes intellectum.

130. **E**ffectus eiusdem legis præcipui sunt. Ex parte quidem intellectus illuminare: iuxta illud citati Psalm. 18. Præceptum Domini lucidum; illuminans oculos.] Ex parte uero uoluntatis hanc suam affectu complere; iuxta illud quod ibidem additur; Iudicia Domini uera iustificata in semetipsa, desiderabilia super aurum, & lapidem pretiosum multum, & dulciora, super mel & fauum.] Qui duo effectus constituunt illam huius uitæ felicitatem, de qua psalm. 93. Dominus scilicet cogitationes hominum quoniam uanæ sunt. Beatus homo quem erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.] Ad prioris autem effectus consecutionem disponimur imploratione diuini auxilij orando cum Dauid in Psalm. 118. Reuela oculos meos & considerabo mirabilia de lege tua.] Ad consecutionem uero posterioris, obseruatione ipsius legis: ut patet ex eo quod incit. Psalm. 118. ad uerba illa, *dulciora super mel & fauum*, additur. Et enim seruus tuus custodit ea.]

De diuisione legis diuinae postiuæ in uersè sumptæ.

131. **O**bseruandum est ex D. Thom. 1. 2. quest. 91. art. 5. cum dupliciter possint aliqua distingui: tum ut specie omnino diuersa, sicut bos & equus: tum ut perfectum & imperfectum in eadē specie sicut puer & uir. In prioris modo legem diuinam positiuam, uelut simplicissimam esse, ab unico omnium moderatore profectam: & ad unicum finem ordinatam: qui est hominis iustitia in hac, quam in futura uita, coniunctio cum Deo: uelut enim est Deus, qui iustificat circumcisionem ex fide, & præputium per fidem; ad Rom. 3. Posteriore uero modo distingui in ueterem & nouam: congruenter ei, quod ad Galat. 3. status ueteris legis comparatur statui pueri existētis sub pædagogico, & status nouæ legis, statui uiri, qui iam non est sub pædago. Quæ comparatio illustratur per illud quod lex uetus maxime dirigeret actiones externas: idque pollicitatione bonorum corporaliū & temporalium (qualis Exodi 3. facta fuit, terrefluentis lacte & melle) atque in cussione timoris poenarū temporalium: perinde ac pædagogus solet puerū, ætate iudicioque infirmum. Lex uero noua dirigit imprimis actiones internas, & hoc pollicitatione spiritualium & æternorum bonorum: atque erga Deū timore, quem parit charitas Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum qui datus est nobis ad Rom. 5. prout regi solent, qui matura sunt ætate & iudicio.

CAPVT XIV.

De ueteri lege.

SUMMARIVM.

132 Cum promissus sit Christus omnibus gentibus, cur soli populo Israelitico data sit lex uetus.

133 Ratio, quod ipsi semen essent Abrahe, de quo nasciturus erat Christus.

134 Lex uetus obligauit solos Iudeos, ceterisque fuit tantum in consilio.

135 Præcepta ueteris legis, triplicia moralia, ceremonialia, & iudicialia.

136 Ceremonialia & iudicialia nunc neminem obligant.

137 Ceremonialia sunt mortifera, & cur.

138 Iudicialia non iura, & cur.

139 Cur Christiani ueteris Testamentum seruent & uenerentur.

140 Quatenus in iudicio de peccatis, usus sit illius.

Quatenus in iudicio de peccatis, usus sit illius. Vanius Christus non tantum Israelitis, sed etiam gentibus promissus fuerit, iuxta illud Isaia 49. Patum est ut sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & feces Israel conuertendas. Ecce dedi te in lucem gentium, ut sis salus iure utique ad extremum terræ: & illud D. Petri Act. 10. In ueritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus: sed in omni gente, qui timerit eum & operatur iustitiam, acceptus est illi. Diuina tamen uoluntas fuit, legem ueterem tanquam uenturi Ecclesie sponsi figuram (iuxta illud prioris ad Corinth. cap. 10. Omnia in figura contigebant illis) ad terram à celo transmittere tradendam uni populo Israelitico: non quidem ob eius aliquas speciales iustitias, cum durissimæ ceruicis populus esset, ex cap. nono Deut. sed ob promissionem factam Abrahe, ex quo ille traxit originem.

Fides enim & obedientia Abrahæ uolentis Deo iubente unicum filium suum dilectum immolare: meruit saltem de congruo, ut dato quod Deus ipse statuisset filium suum carnem humanam assumere, ex eiusdem Abrahæ potius, quam ex alterius semine nasceretur, pro ut potest non obscure deduci ex illis uerbis Gen. 22. Per memet ipsum iurauit, dicit Dominus: eo quod fecisti hanc rem, & non peperisti filio tuo unigenito propter me: Benedicam tibi, & benedicetur in semine tuo (id est in Christo, ut D. Paulus interpretatur ad Gal. 3.) omnes gentes terræ, quia obedisti uoci meæ. Ex Abrahæ autem filius, hæres dicitur promissionis constitutus est solus Isaac per illud Gen. 21. In Isaac uocabitur tibi semen.] Et ex filio Isaac, solus Iacob per illud Gen. 25. Maior seruiet minori.] & illud Malach. 1. Iacob dilexi Elau autem odio habui.] Quare congruum fuit, ut præ cæteris, populus Israeliticus, totus ex posteris Iacob constaret, acciperet eam legem quæ mundo prænuuntiat: atque Christi aduentus; tradaturque specialis cultus religionis, quem Deus usque ad eundem aduentum, sibi exhiberi uolebat. Sic D. Paulus ad Rom. 9. cum talis prerogatiua populi Israelitici meminisset, inueniens, Optabam ego anathema esse pro fratribus meis qui sunt Israelitæ, quoniam ad optio est filiorum, & gloria testamenti & legis, & obsequium & promissa. Icausam illius fuisse supra dictam promissionem indicauit cum subiunxit: Quorum patres ex quibus est Christus secundum carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula. Accedit quoque illa ratio, quam in præcedenti cap. ex D. Tho. reuulimus: quod ob Christi reuerentiam congruum fuerit, populum ex quo nasciturus erat prerogatiua sanctitatis habere; ideoque legem accipere quæ donec Christus perfectæ sanctitatis author ueniret, in officio contineretur, prout solet puer à pædago iuxta illud Apostoli ad Galat. 3. Nusquam ueniret fides, in lege custodiebamur conclusi in eam fidem quæ reuelanda erat: itaque lex pædagogus non ster erat in Christo Iesu. At ubi uenit fides, iam non lumus sub pædago.

Ex quibus D. ipse Thomas prima secundæ quest. 98. art. 5. infert, ad ueteris legis obseruationem obligatos fuisse solos Israelitas: unde & ipsi sunt promulgata Exodi cap. 20. & sequentibus; cæteris autem populis fuisse tantum in consilio: perinde ac laicis est status Clericorum: & secularibus status religiosorum: nempe ut perfectior & securior: non autem necessarius, ut extra eum salus obtineri non possit. Sicque accipiendum est illud Exod. 12. Si quis peregrinorum in uestram